

1507

C O D I C E S

1508

teratorum curiositate, ex altera lucelli cupidine Exempla multiplicata fuisse quivis facile videt.

DCXLVIII.

- H. 13 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 401. f. alterum Exemplar est mox dicti *Colloquii* uno Tomo compactum.

DCXLIX.

- H. 11 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Pagg. 248. 4. inscribitur: *Mutiani de Bath Equitis Scoti de Verae Religionis Inventione et Forma Libri Sex. Praeit Symbolum in Fronte Operis collocandum: Triangulum nempe in Circulo, quem Quadrum claudit. Quadro inscriptum: Anni tui non deficient, Circulo: Unum Verum Bonum, Triangulo: Idem ipse est. Succedit Epistolium: Domino Reinerio de Leers perillustri Typographo Rotero - Damensi, hujus tenoris: Veritas undique exagitata et ubique odiis exposita ad asylum libertatis simul et virtutis confugit (Bataviam scilicet vestram) venustissimis et fidelissimis tuis typis suum honorem committit afferendum, unaque rogat, ut errores Orthographiae emendes simul et condones. Vive bonus, ut semper foelix vivas. Veritas haec de Erroribus suis orthographicis tantum sollicita fucum nobis facere velle videtur, lego enim ad Operis calcem: Andrapoli in Scotia Typis Jodoci Olasco 1686. et nunquam illud*

prelo subjectum fuisse puto. Exemplar alterum ms. Catalogus *Bibl. Uffenbach. T. III. p. 681.* indicat, ubi Typographus *Jo. Clasquo*, tertium Catalogus *Bibl. Reimman. P. II. p. 989.* ubi *Job. Clasgo* audit. Διαγνωσις ipsius Scripti praeoccupavit doctiss. *Reimmannus* cum *l. cit.* tum *Histor. Atheismi p. 551.* locoque priore vere concludit: *Res omnes anomaliae, paradoxicae, et prodigiosae, et ita comparatae, ut, quas Ed. Herbertus, alique hujus commatis Naturalistae de hoc Argumento sparserunt, orthodoxa videri queant, si cum heterodoxiis Auctoris nostri comparantur. Atque hunc ego non extra Reineri de Leers Patriam, Seculumque XVIII. quaerendum censeo.*

DCL.

- H. 7 Codex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 133. 4. quaedam Scripta complectitur famosi *Increduli Job. Tolandi Hiberni Ultoniens.* de quo consulendi *Biographia Britan. Vol. VI. P. I. p. 3965. Niceronus T. I. et 10. Mosheimius de Vita et Script.* ejus &c. ex *Anglico* in *Gallicum* pravo studio conversa, et quidem 1) *Christianisme Judaique et Mahometan*, qui anglice in publicum extrusus est quadriennio ante Auctoris mortem *Londini 1718. 8.* titulo *Nazarenus, or Jewish, Gentile, and Mahometan Christianity &c.* sed in *Exemplo* nostro uberior est, aliterque ingreditur, et per-